

Nos autem negamus primam consequentiam, uidelicet, quod non essent cōtraria, & cūm probat, quia non semper agunt, & patiuntur, falsum assumit, si intelligat de tota uniuersitate frigoris, & caloris, hæc. n. semper se oppugnant ac sedibus suis se deturbant, ut docebat Tel. in 1. mai. cap. 1. & 6. & 1. min. cap. 3. & 4. Sin intelligat de quibusdam partibus frigoris, & caloris, etiam falsum; nulla enim pars caloris est, propè terram, (de qua ratio eius uidetur procedere,) quæ de frigore continuò, dūm potest, non oppugnetur. Et nota, quod si calor tenuissimam fecerit molem, tenuissimum constituet ens, in quo sui subiecti naturam inuertet; illud inquam, erit perpetuum, ut sunt supremæ cœlorum partes, & stellæ; eorum enim contrarium, scilicet frigus nō agit in eas. apud Tel. enim, ut patet in 2. mai. cap. 1. non omne habens contrarium corrumpetur, nisi quod contrarium habet uicinum, & robustius se. Sin autem constituet calor ens, non sat cœlestē, sed propè terram incolens, cui contrarium adsit, cuiusmodi sunt animalia, hoc continuò oppugnantur à frigore, & præcipuè dum abest Sol, uastantur etiam à calore immoderato, & igneo, in his inferioribus recepto, & sicut iuxta horum exuperantiā morimur, & non nunc, quia non uincimur, & nunc, quia uincimur ab uno horum, & licet sit superatum frigus internum, uincimur ab externo in moderato, & ab externo calore immoderato corrumpente moderatum, quo constituti sumus, & red acate in igaem, uel ab interno se ipsum accedente per amplificationem, uel abiente ad superiores cœlos propter defectum cibi, in quem agat, conficiatque spiritus uitales restaurantes eum, qui elabitur. Cūm petit de aula frigoris. Tel. dicit, esse terrā in 1. mai. cap. 1. & alibi. Et si dicat Hyp. & Bal, morbos fieri ex inæquatione humorum, attributorum quatuor elementis. uide quid sentiat Tel. dum ait oīa animalia uno à calore esse constituta diuersis uiribus agente, & diuersos etiam humores sua uarietate constituinte. cum quo disputat cum Hyp. & Bal. de his in 3. lib. & cap. 29 usque ad 37 & quomodo diuersa entia conficiat calor uidendum erat huic hominī Tel. in 1. mai. cap. 14 & 1. min. cap. 19.

15 Præterea calor feminis, qui in eo detinetur modificat de calore Solis, generat, ergo non calor uteri. cuius oppositum tui defendunt.

R. Ad hoc dicimus, quod quauis semen sit constitutum calori, contineatque in se spiritum, tamen impotens est ex se, ut in tot partes, diuersasque animalis membra fiat, tam masculinum, quod fit in partes albas, exanguēsque, quam fœmineum, quod in alias, licet fœmineum sit minus aptum, & hæc de causa calor uteri ipsi Tel. in 6. lib. cap. 1. & per totum, ponitur præcipuum generationis, ueluti antiquioribus, & ualentioribus medicis, ex cuius diuersis mutationibus, tam in semine, quam in loco uteri factis, diuersa semina concrescunt in partes. quod dicit calor uteri si superflue non probauit, & cūm probabit, reprobabimus & nos. uerum